

nostris viribus nimia fiducia vitanda, tum diffidentia nimia [quae pusillanimitas vocatur] cavenda. In medio itaque [quod est virtutis sedes] consistere oportet, quo [humilitate veritateque duce] dona a Deo nobis collata [obedientiae sub tutamine] in christifidelium bonum negotiari valeamus.

f) Opinio praeiudicata [*prévention*] postremum [quod ad rem nostram heic attinet] prudentiae impedimentum est, quo [ullo praevio examine] adeo de personis sententiam ferimus, ut quidquid in posterum ipsae agant, vel ad coelum, vel ad inferos iam praedestinatam esse teneamus. Quae agendi ratio [si eius causas recte perpendimus] nil esse quam praesumptionis effectus facile comperimus, qua [superbia duce] potiusquam nos ipsos peculiaribus subditorum necessitatibus conformemus, ut fideles nobis accomodentur nitimur. Quod vitium tum a nobis ipsis, cum ab aliis oboriri posse, quotidiana experientia, docemur.

1. A nobismetipsis, quum potiusquam genuinam veritatem quaerere, eam iam assequutos esse nobis suadere contendimus; quo fit ut quam de subdito sententiam malimus, non ratione, sed arbitrio teneamus.

2. Ab aliis praeiudicata de quodam subdito opinio exoritur quum [nulla adhibita cura] subvertitoribus delatoribusque caecam fidem praestamus, sive non ad eam quae nobis rationabiliter ideam finximus, sed [praesumptione, vel festinatione] ad eam quam alii tenent accedimus. Quae omnia [uno verbo] tum ex nostris, tum ex alienis passionibus oboriuntur, et quantum utrisque obsistere oporteat, iam diximus.

§ II. — De quibusdam in re generalibus industriis.

SUMMAE RERUM. — 63. Quae in re generalia media esse possint. — 64. De muneris sui agnitione et ad rem normae. — 65. De rerum paroeciae cognitione, et ad hoc industriae. — 66. De Admonitore utendo.

63. — Has si culpas vitare Pastor voluerit, haec generalia sibi tradita monimenta sequatur:

a) Humilitatem colat; nam *si radix elationis absconditur, consequenter rami pravae assertionis arefiunt*¹. Idcirco Dei Gratiam imitetur Pastor quae, magna cum reverentia homines habendo, adeo omnibus dat nivem sicut lanam ac vicissim, ut potiusquam frangere, duciter flectat; quo per dolorosam huius mortalis vitae semitam [cum usitatis suavi-

¹ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.* Par. III; Cap. 24.

tatis fulcimentis] ad beatam aeternitatem fideles deducat. Qua agendi ratione si quis utatur, non praesumptione, sed veritate justitiaque duce se regi pro certo credat.

b) Antequam argumenta ad rem habeat, hinc vel inde ne inclinet; quod homini ratione praedito et Pastori quam maxime convenire quisquam dixerit. Sedulum, igitur, consilium consultationi antecedit oportet, actioni contemplatio, nec tum bonum, tum malum haud de facile ipse credat. Argumenta quae hinc inde habentur aequa lance perpendat; rationes a sophismis discernat, et [humanis haud neglectis consiliis] regiminis generalem normam coram Deo statuat; quae tamen, quum homines facile mutantur, et Pastor immutare, interdum, sed prudenter, noverit. Tunc etsi in errorem incidat, infelix at haud culpabilis habebitur, et tum apud Deum, tum apud homines imprudentiae notam haud ipse incurret. Fac quod debes et potes, et de caetero nulla tibi cura sit; tua, enim, *laus non ex hominibus, sed ex Deo est*¹, et si omnibus attendes, nil ages. *Qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, numquam metet*².

c) Verum a falso Pastor apte discernat, quod principium uti fundamentale omni in regimini haberi debet, monente Scriptura: *ante omnia opera, verbum verax praecedat te*³, *nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate*⁴; nimirum, *non secundum quod loquitur, non secundum auditus aurium*⁵. Enimvero *heu! quam latet fundo in profundo veritas*⁶! et nil saepenumero tam veritati fecte propinquum quam quod reapse diversum, immo, et contrarium; nam ut incautorum animos error decipiat, veritatis speciem induere, omnes quotidie conspicimus. Tunc, nisi attente vigilemus, verisimilia [quae vehementius saepe quam verum animum captant] pro veris commutamus, sophismata cum argumentis confundimus, et in errorem ruimus.

64. — Muneris sui ignoratio, quid, nimirum, a Pastore officium ac Ecclesia postulet, quidque eius per leges consuetudinesque ipse reapse possit, feracissima imprudentiarum fons est, quo errores erroribus cumulando, aut imperiti, aut fatui, aut temerarii, aut improbi nomen obtinet. Et certo, quicumque muneris sui scientia destituitur, etiam prudentia destitui necesse est, qua qui caret, quantis necessario

¹ *Ad Romanos*, I, 26.

² *Eccles.* 11, 4.

³ *Id.* XXXVIII, 28.

⁴ *Ioan.* VII, 24.

⁵ S. Gregor. Magn. *Moral.* Lib. VI. Cap. 20.

⁶ *Sapientium Praecept.* n. 15.

se difficultatibus implicet iam vidimus. Tunc, enim, nil certo consilio ac ratione, omniaque dubio eventu peraguntur, ac perimentia saepe pro salutaribus, noxia pro profuturis, venena pro medicamentis propinantur. Cum vero contraria fere contrariis curentur, amica hic amicis praebentur mala, tanquam si in fomentum, non in malorum depulsionem remedia porrigantur. Neque, enim, potest muneris sui ignarus personarum, temporum, locorum, rerum in omni prudenti gubernatione necessariarum rationem habere; quo fit ut cum tam fatuis mereque fortuitis consiliis agatur, infortunissimum sibi, subditis Paroeciaeque sortiatur exitum. — Perniciosissimae huius ignorantiae remedia fere omnia in Pastoris scientia continentur de qua, aptiori in loco, plura recolemus. Hac, enim, tantummodo tum sua jura, tum debita adeo Parochus agnoscit ut prima valide tueri, altera vero observare fideliter possit. Ambo autem in tractationis cursu indigitantur, et generali ratione, ad haec assequenda se suosque, interdum, per dimidiam saltem horam, considerare, sequentes quaestiones secum Deo coram agitando, juvabit:

1. Quomodo Pastor se erga Deum gesserit; an spiritualia fidei studio curaverit, an divina tantum gloria ad agendum sese moverit?
2. Qui sint christifidelium mores et observantia, an aucta haec sit vel imminuta et quibus de causis, vel quae scandalis remedia admovere oporteat?
3. Quis modus sui regiminis fuerit; an suavis et diligens, pius an prudens, vel potius callidus et fallax?
4. Quomodo cum Ordinario ipse sese gesserit? An eius iussa exequutus fuerit? An sit aliquid de quo ille edoceri debeat?
5. Quomodo cum Coadiutoribus suis res sit? An illi diligentes in munere et assidui? An eorum aequam libertatem ipse praepediat? An tradita iussa Coadiutores exequuti fuerint? An aliquid corrigendum monendumve supersit?
6. Quoad Ecclesiae statum ac divini cultus curam quid dicendum?
7. Quoad sacramentorum administrationem quae eius sollicitudo et cura, fidelium assiduitas ac fructus sint?
8. Quoad conciones ac catechismum fidelibus ac pueris habendis, quid dicendum providendumque sit?
9. Quoad legatorum adimpletiomen ac missarum onera, quae observanda veniant?
10. Quae infirmorum, pauperum ac iuventutis curae sint, et an aliquid emendandum, vel sedulius consulendum in re sit?

11. Quoad Fabricae consiliarios ac cuncta quae ipsis pertinent, quid dicendum?

12. De beneficii conditionibus ac curis quid tenendum et providendum sit?

13. Quae negotia maxime urgeant? Quae cavenda sibi ad rem, aut aliis praestanda Pastor habeat? An obstacula orta sint? Quaeenam et quomodo praevidenda sint?

14. An aliquid novissime contigerit quod peculiari cura, ut iussu, vel consilio indigeat?

15. An paroeciae tabularium ordinata ratione habeatur, et an quaedam providenda sint?

16. An politico et aulico, potiusquam ecclesiastico more, cum fidelibus se habeat? Quomodo in eorum visitatione se gerat? An divites pauperibus praeferat? An sua, potiusquam paroeciae commoda, ipse exquirat? Quid de epistolari commercio?

65. — Ex rerum paroeciae ignorantia ingentes imprudentiae nascuntur, gravesque in regimine errores quos nullo remedio corrigas, damnaque non in unam alteramve personam, sed universum eius corpus decurrentia, cum res deliguntur noxiae. Neque, enim, cui paroeciae omnia perspecta non fuerint prudenter praeesse potest: praecavere nocitura aut profutura deligere haud illi fas est, sed cum prioribus dissentanea, aut sane minus commoda, vel mutuo pugnancia imperare facillime ei continget. E contrario, cui nil paroeciae rerum fugit, adeo non magno negotio devitat mala, praevidet nocituris ac praecoccupat etiam antequam eveniant, ut secure procedat, nec facile poenitenda committat. Cum, enim, quos hinc inde imminent vel habentur eventus Pastor prudens perspectos habet, prompta et ad manum semper remedia ei sunt. Nullae, igitur, paroeciae res Pastoribus lateant, quae sive magnae aut parvae sint, ad prudentem gubernationem plurimum conferunt. Minimae etiam aliae atque aliae intercurrentes circumstantiae, alia atque alia consilia deposcunt, maximaeque saepe res a minorum cognitione pendent. Ad rem per tractationis cursum plure recolemus.

66. — Admonitorem, quemdam scilicet confratrem qui, ut [optimi amici et sinceri veritatis amatoris ad instar] non solum placentia, sed etiam [multoque magis] displicentia adeo Pastori pandere velit, possit, sciatque, ut ab errore eum eripiat, et per rectam semitam eum deducat, plurimum iuvabit. Enimvero persaepe, dum aliena facile conspicimus diiudicamusque, nostra, e contrario, penitus ignoramus: alienos, enim, defectus ante pectus deferimus, nostros, e contra, post terga reicimus. Idcirco nil mirum si *ea quae sunt ante faciem nostram vi-*

demus, dorsa autem nostra alii in nobis vident, et nos videre non possumus¹. — Nescatis; nam quum amor privatus vehementer claudat oculum cordis², nostra gravia leviter, et proximorum mala leviter graviter iudicamus³. Tandem, saepe nimis, solemus mala gentis nostrae scire novissimi, et vicinis cantantibus ignorare⁴: at, e contrario, non oportet ut vitia domus tuae ultimus scias, quod quamplurimis contigisse novimus⁵. Ad rem ratio Pastori adhibenda huc redit:}

a) Veritatem non tantum lucentem, sed et arguentem ipse diligat: quum ille se ipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi a nullo vult contra veritatem parci...; et Rectores boni, dum privato diligere amore se nesciunt, liberae veritatis verbum a subditis, obsequium humilitatis credunt⁶. Neque versutum Pilatum imitetur Pastor, qui veritatem a Servatore Nostro non sincere, sed ut vane se ostentaret quassisse novimus; sed immo ad hoc tantum de ea exquirendum ut se ipsum emendet, regimenque florescat. *Cuius aures clausae sunt veritati... eius salus desperanda est*⁷; nil, enim, hac in re mala politica infestius.

b) In bonam partem monita Pastor suscipiendo, consideret se, intret in semetipsum, ascendat tribunal mentis suae, constituat se ante conscientiam suam, cogat se confiteri⁸ ac prudenter se emendet: errare, enim, humanum est, et confiteri errorem prudentis⁹; secus quum corripit refugiet, adulabitur, quo errori errorem adiiciet. Idcirco Sapientiae monita Pastor recolet: *Vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus*¹⁰: *qui acquiescit increpationibus possessor est cordis*¹¹: *doce justum et festinabit accipere*¹²: plus, enim, proficit correptio apud prudentem, quam centum plagae apud stultum¹³, et qui acquiescit arguenti, glorificabitur¹⁴.

c) Monita vero latius quam dicta sint accipiat, quia monentis reverentia ea plerumque minuit. *Confido nostra meticulosa informatione non eris contentus, sed abundabis magis; sane sic decet, te scilicet abundantiore quam me audaciore esse. Ego quoque tutius mihi iudico apud maiestatem, timiditate quam temeritate, periclitari. Et*

¹ S. Gregor. Magn. in Ezech. Lib. I, Homel. 7.

² Id. Ibid.

³ Id. Ibid.

⁴ Op. imperfect. Homil. 17.

⁵ S. Bernardus, De Consideration. Lib. IV, Cap. 6.

⁶ S. Greg. Magn. Moral. Lib. XVII, cap. 5.

⁷ Cicero, in Laelio.

⁸ S. Augustin. in Evangel. Tractat. XXXIII.

⁹ S. Bernard. De Ord. vit., Cap. 12.

¹⁰ Eccles. X, 28.

¹¹ Prov. XV, 31.

¹² Id. IX, 9.

¹³ Id. XVII, 10.

¹⁴ Id. XIII, 18.

fortasse non secus moneri sapientem oportuit, ut sit quod scriptum est: *Da occasionem sapienti et sapientior erit*¹.

d) Si vero Admonitor cunctetur, ad eum Pastor bonus accedat, ac correctionis eleemosynam humiliter expostulet; nam, persaepe, mora haec reverentiae tantum debetur.

Articulus III.

DE CHRISTIFIDELIUM HOMINUMQUE AGNITIONE.

§ I. — De eorum generali agnitione.

SUMMAE RERUM. — 67. De hac generalis notitiae necessitate — 68. De altera peculiari — 69. Qualitates ad rem recoluntur — 70. Ad rem media generalia.

67. — Semetipsum, sui pastoralis numeris officia, ac paroeciae res cognoscere, ut gregem sibi concreditum apte Pastor regat haud erit satis, et ut [quantum fieri poterit] et fideles omnino agnoscat necesse est. Etenim, quum nemo apte regere ac instituere possit quos ignorat, vere sapienter Sapiens monet: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera*², et Poeta cecinit: *Principis est virtus maxima nosse suos*³. Quod et D. memorat Bonaventura scribens: *Ad statum debitum tenendum convenit ut Rector subditorum mores... et vires praecipue cognoscat ut, secundum quod unicuique expedit, eum dirigat et hortetur*⁴. Enimvero, tantum si quos Ecclesia paternae curae tuae commisit nosti, adeo apte reges ut illam Salomonis laudem assequeris: *Divinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius*⁵. Quos si, e contrario, ignoras, eos tecum in erroris abyssum proicies. Cognitio enim prudentiam parit, ignorantia stultitiam: ab illa prudentia est, ex hac ineptitudo; illa securum dabit iter, haec millibus erroribus et periculis obiiciet.

68. — Huius cognitionis [ad pastorem regimen quod attinet] peculiare habentur rationes, quae ita indigitari possunt:

a) Ob ipsam pastoralis regiminis indolem, quae [ut saepius diximus] summan ac paternam caritatem exigit. At quomodo, quaeso, dulcem hanc sanctamque servitutem salubriter animabus tibi commissis

¹ S. Bernard., De Considerat. Lib. II, Cap. 3.

² Prov. XXVII, 23.

³ Iuvenal. III.

⁴ De Sex Artibus, Cap. 7.

⁵ Eccles. IX, 11.